

Iwan et Georgium, filios Nicolai, ac Martinum, filium Brokony, nec non Bank, filium Petri, et eorum haeredes ac posteritates simul cum vniuersis possessionibus et possessionariis eorum portionibus a dicto Nobili iobbagyonatu Castri de Morocha penitus et per omnia eximimus, in coetum et numerum purorum regni Nobilium et seruentium regalium, nulla pristinae ignobilitatis macula super eisdem reservata, generose in perpetuum duximus aggregandos; propterea vobis Bano, Comitibus partium alibi, Iudicibus Nobilium Comitatus de Moroucza pro tempore constitutis, et alijs in futurum constituendis, firmo Ducali sub edicto damus in mandatis, quatenus praefatos Nicolaum filium Katchk, Iwan, Georgium, Martinum et Bank filium Petri, ac ipsorum haeredes ratione Nobilis Jobbagyonatus Castri cum possessionibus eorum molestare et perturbare non audeatis, sicut nostram indignationem graviter offendere formidatis. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes concessimus litteras nostras patentes sigilli nostri mediocris munimine roboratas. Datum in Iwanch feria quinta proxima post quindenae festi sancti Georgy Martyris. Anno Domini MCCC quinquagesimo quarto.

(Locus sigilli dorso impressi.)

Ex orig. membr. in coll. Nic. Jankovich existente. — Fejér. Cod. Dipl. Reg. Hung. T. IX. v. VI. p. 286.

XCIV.

Anno 1357. die 14. Decembris. Ad civitatem Nonam.

Joannes Chuz, totius Croatiae et Dalmatiae Banus, libertates ac privilegia civitatis Sibenici regia potestate confirmat.

Nos Joannes, totius Croatiae et Dalmatiae Banus, memoriae commendantes tenore praesentium significamus quibus expedit vniuersis: quod cum vniuersi Nobiles, ciues et communitas Ciuitatis Sibenicensis per nobilem virum Radoslanum Crassuenacich, ciuem eiusdem ciuitatis, ambasciatorem et nuncium ipsorum specialem, habita conuersione ad Dominum regem et eius sacram coronam, libertates siue gratias, donationes et consuetudines inferius declarandas, a nobis instantissime sibi dari postulassent; nos itaque iustis et condignis petitionibus eorundem annuentes, in persona dicti Domini nostri regis, infrascriptas libertates, iura, gratias, donationes et consuetudines eisdem ciuibz et communitati supradictae ciuitatis Sibenicensis, iurando super signo uiuificae crucis, sancta Dei evangelia et reliquias Sanctorum, concessimus et concedimus, damus et donamus iure perpetuo atque irrevocabiler habenda, tenenda et possidenda. Primum videlicet: quod omnes iniurias, offensiones et excessus, per ipsos Sibenicenses